

Wf
1720



Q.H.



Q. N. 122, 43, a.



B. F.
DISSERTATIO
DE
SCHOLIS PUBLICIS
ALTENBURGENSIUM,
quâ
SCHOLÆ PATRONOS
ET FAUTORES

ad
audiendas
ORATIONES SOLEMNES
COLLEGARUM

XVIII. XL. Sept. A. C. cl. cl. LXXVIII.
officiose invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
Rector.

ALTENBURGI,
apud Gothofredum Richterum, Anno 1678.



L. B.
S.



Vod ædificio fundamentum, id *Schola* Reip. conferre solet. Utrumque susten-
tando & conservando suam locat ope-
ram. De *Schola* hoc testantur quam plu-
rimæ Respublicæ, quæ vix ac ne vix qui-
dem seculi spatio salvæ stetitissent atque in-
concußæ, si *Scholis* sedem denegassent. Ex multis fidem
facit Oppidum nostrum ALTENBURGUM, quod sane *Scho-
las* tanto affectu non foveret, nisi ab earum conservatio-
ne suam dependere salutem intelligeret. Fovit autem
Civitas nostra Cimmeriis Papatus tenebris adhuc im-
mersa *Scholas* bene multas *Bartholomeanam, Nicolaita-
nam, B. Virginis in Monte & Martinianam*. Nec alia
extitit mente splendida divini verbi luce, facem præfe-
rente Theandro Luthero, collustrata; Fundavit enim
Scholam in *Cænobio Discalceatorum*, ut taceam *privatas*
& *angulares*, quarum uberrimus hoc seculo proventus.
Singulas ordine persequar adducturus, quæ ex Historiæ
patriæ monumentis mihi innotuerunt.

Primum ob antiquitatem occupet locum *Bartho-
lomeana* ab æde D. *Bartholomæi*, quam ea parte, qua ad
Austrum vergit, habuit vicinam, nomen sortita & Nutri-
tium nacta Magistratum Oppidanum. Qui teneram
hoc in ludo pueritiam formarunt, *Rectoris & Baccalan-
rei* officio perfuncti feruntur, usque ad Kl. Febr. A. C. 1529.
quibus hac relicta in *Monasterio Franciscanorum* nova
coe-



coepit Schola. Ultimum moderatorem Rationes Ac-
rarii Ecclesiastici nominant M. *Diodorum Reisman-*
num, in cuius nuptiis A. 1527. celebratis una sexagena no-
va Gamelii loco est oblata. Vulcanio ardore non semel
consumta perhibetur; eodem periit A. C. 1597. 1427. 1451.
& 1475.

Hanc excipiat *Nicolaitana*, à templo *Nicolao* de-
dicato ita dicta, de qua non habeo, quæ referam, nisi
quod A. 1529. civi vendita accepto octodecim sexage-
narum novarum pretio, quod factum suspicor, mortuo
Vito Pempelio, Schmöellensi, Monacho veterano ad S. Ni-
colai, quæ pueros docuisse veterum tradidit traditio.

Extra portas Oppidi nostri si exspatiamur, duæ nobis
occurrerent *Scholæ*, nisi temporis injuria jam dudum inter-
iissent. Unam Præpositus Cœnobii in *Monte B. Virgi-*
nis vocatam *die Berger-Schule* / prope *adem S. Agathæ*
excitavit, quæ idem fatum cum templo S. Agathæ jam
memorato & Nosocomio Anno. 1542. videtur experta;
Nam *Melchior* ab *Ossa*, Cancellarius Electoralis, à fun-
damentis eandem diruit, exstructa domo elegantissima,
quæ à Monasterio B. Virginis & rupe, cui imposta, Lin-
gua vernacula *der Frauenfels* appellatur. Huic Scholæ
Anno seculi superioris vigesimo præfuit *Chilianus*.
Alteram Majores nostri *Martinianam* ab æde *Marti-*
ni sive *Scholam Arcis*, *die Schloß-Schule* salutare con-
sueverunt, quæ eo in loco sita quondam fuisse dicitur,
quo hodiè domus Brandiana aut hortus. Quo tempo-
re desierit, definire nequeo. Si locus conjecturæ reli-

Ædus, cum templo D. Martini, quod Anno 1545. destru-
ctum, everfam putarem. Flammis confedit An. 1444.
quo Ecclesia Basilica S. *Georgio à Wilhelmo II.* Divite,
Marchione Misniæ, consecrata cum æde *Martini* con-
flagavit; ut & Anno 1475.

Et hæc de Scholis, quæ Tyrannidis Pontificiæ tem-
pore hic floruerunt. Nunc ad eam, quæ excusso jugo
Papali ab Amplissimo Senatu fundata, devenio. Repe-
ritur autem in *Cænobio Franciscanorum*, quod optimus
Princeps *Johannes Constans*, Elector Saxonix, non *Jo-
hannes Fridericus* ejus filius, ut vulgaris fert sententia,
Civitati nostræ eum in finem A. C. 1527. non A. 1529. con-
cessit. Senatus facta hac donatione claustra Mona-
chorum non *turpis otii latibula* aut *scelerum sacraria*,
quod de Domo Catilinæ scribit *Cicero* Orat. II, in *Catil*,
sed *bonarum literarum domicilia* esse voluit, & priorem
Monasterii partem Scholæ, posteriorem vero verbi divi-
ni Scholæque ministrorum habitationi destinavit, con-
firmatus in pio hoc negotio à Visitatoribus Ecclesiarum
Electoratus Saxonici Anarcho, Dynasta Wildenfelfii, Die-
terico à *Star-schedel*, Georgio Spalatino & Musæo sa-
cra ad normam fidei Lutheranæ die *Luciæ* A. 1528. hic ordi-
nantibus. Sedes Religionis & ingenuarum artium offi-
cina ipsis Kl. Februarii A. 1529. esse cœpit. Prior autem
Cænobi pars ædi Fratrum contigua in *duas* dispescitur
Contignationes. *Inferior* omnes Classes quondam
continebat, postea *Tertiam*, *Quartam*, *Quintam* *Sex-
tam*, & *Septimam*, & hodie duabus prioribus in ædes
Dia-

Diaconi 13. Oct. A. 1669. translatis tres reliquas. Superior in duo dividitur Conclavia. Quod versus meridiem tendit, domicilio *Correctoris*, nunc *Classi Primæ* ab A. 1657. cessit: quod vero templum respicit, *Bibliothecam Scholasticam* 396. libris constantem Anno Seculi elapsi quadragesimo tertio complectebatur, ab A. 1569. 17. Oct. Discipulos *Classium Primæ & Secundæ*, & ab A. 1657. 26. Aug. tantum *Secundæ*. Aditum his præbet *turricula* ex lateribus coctis A. 1650. condita, cochlea lapidea instructa & sequentia prætereuntium oculis verba auro obducta objiciens:

AUSPICIIS DOMINI
SCHOLA FLOREAT: AUCTA
DIURNET!
M DC LVII.

Ex *Classis Secundæ* Auditorio in duo pervenies conclavia versus Orientem porrecta. *Infimum* Sacratio impositum *Classis Selectæ* sive *Superioris* discipulos, quorum *trecentos & viginti tres* intervallo sedecim annorum *Album Scholasticum* recenset, hæctenus recepit. Suos autem natales jam nominata *Classis Patri Patriæ* quondam indulgentissimo FRIDERICO WILHELMO II. Duci Saxonæ, Julæ, Cliviæ ac Montium &c. memoriæ feliciss. jure suo merito debet, utpote cujus munificentia nunquam satis laudanda d. 26. Maji A. 1662. surrexit. Quæ exitus patet, hæc parieti inscripta leguntur verba:

A3

TA-

TAMEION
DEO
MUSIS
GRATIIS
S.

Supremum conclave *Bibliothecam Scholasticam* exhibet, quæ Legato Laudatissimi Principis occupato, liberalitate *Μεσοφιλων*, spontanea Scholarium sub accessum oblatione, multa Chori Symphoniaci & portiuncula exigua de nummis exeqvialibus per DEI gratiam in tantum crevit, ut *bis mille volumina* cum *quingentis* jam numeret, plura secuturo tempore adhuc numeratura, si aurea pax nostris in terris viguerit, & Musarum Fautores libros & nummos manu benigna porrexerint.

Quemadmodum vero ædificium hoc Scholasticum, uti descriptum dedi, absque vinculis & ligamentis non cohærere nedum subsistere, per tantum temporis spatium potuisset: ita rem Scholasticam sine *Legibus* permanuisse incolumem, nemo sibi persuadeat. Hinc Amplissimi Scholarchæ non nescii, quantum momenti salutare habeant *Leges Scholasticas* composuere, quibus in Præceptorum officium & munia Discipulorum proponuntur. Primas *Leges illustre Syne-
drium Viniense* A. 1573. transmisit, quas auctiores sanctior illa nostra Christianitatis Curia, uti Consistorium Anglis audit, diversis temporibus fecit & *Venerabili In-
spectorum Collegio* tradidit, omnium notitiæ exponendas, quod factum 10. Junii A. 1616. deinde 23. Maj. A. 1660. & tandem 4. April. anni currentis.

Præ-

Præceptores quod concernit, qui rudimentis Juven-
tæ fide ac doctrina sua adfuerunt, eorum recensum cum
pagellarū angustia prohibeat, commodiori occasiōi reser-
vo. Iam sufficiat indicasse, quo tempore *Officia Schola-*
stica in Lyceo nostro cœperint. Inter prima hujus *Scho-*
lae initia duo pueritiæ formatores fuere constituti, *Re-*
ctor M. Diodorus *Reißmann*, sive, ut Hitscholdo in *Coll.*
Altenb. placuit, Andreas Misenus, Altenburgensis, post
A. 1553. Ecclesiastes, et Pastor ac Superintendens in Patria
ab A. C. 1562. ad A. 1568. quo Leucopetram adiit Ephori
officio præficiendus: & *Baccalaureus* Johannes Matheſi⁹
Rochlitiensis, Rector & Pastor in valle Joachimica meri-
tissimus. His paulo post accessit *Cantor* Sebastianus &
Conrector, sive *Supremus* M. Schnabel A. 1549. Verum
cum & hi oneri ferundo impares viderentur, Collegarum
coetui A. 1576. accensetur *Baccalaureus Superior* Heinric⁹
Himmel, M. Augustini Himmeli, supremi sacrorum apud
nos Antistitis filius; A. 1599. *Collega Classis Sextæ* Aedituus
Oppidanus Johannes Pieler: & *Septima* A. 1609. Aediti-
mus Xenodochialis: A. 1657. 26. Aug. *Subconrector* M.
Martinus Hærtel/ nunc Pastor Niswitiensis in Ephoria
Ronneburgensi: & A. 1662. *Quartus* sive *Lector* M.
Christophorus Gräfe.

His expeditis ad id me converto, cujus gratia hoc
scribendi genus suscepi. Suscepi autem, ut *trium Col-*
legarum Collegii & amicitiae vinculo conjunctorum
propositum Cathedram Scholasticam conscendendi si-
gnificarem. Primus Dn. M. J. GEORGIUS SCHMAL-
TZI-

M. 1710
TZIUS, Gothanus, Athenæi nostri Conrector hæcenus
vigilantissimus, Sacerdotio Sarenfi nuper admotus Ora-
tione *de Felicitate Magistrorum Scholæ* recitata, ulti-
mum vale DEO, Patronis & Scholæ dicet. Hunc pres-
so pede sequetur dignus in officio successor Dn. M.
CHRISTOPHORUS Græfe/ Sultza- Thuringus, Sub-
Conrectoris in Pædagogio nostro sparta probe defun-
ctus, *Autumnum in Vere, i. e. Juvenes in bonis literis præ-
claræ molientes*, expositurus. Tandem ad dicendum
surget, qui Græfio successit, Dn. JOHANNES Wabl/
Altenburgensis, Scholæ Ronneburgensis Rector fidelis-
simus. Verba autem de *Scholarum* faciet *Necessitate*.

Quod superest, vos, Musagetæ Optimi, non tam meo,
quã pl. *Venerandi Scholarum Collegii & Collegarum*
nomine rogatos volo, velitis hora II. diei, crastini frequen-
tes in Clasfis Primæ Acroaterio cõparere cõsvetæ æquani-
mitate & attentione audituri, quæ Collegæ nominati pri-
vatos intra parietes sunt commentati. Accedite proinde
Deum, Scholarum Statorem Optimum Maximum devo-
tis precibus orantes, ut Scholam, pretiosum oppidi nostri
κειμηλιον contra Satanæ insultus & iniquas malevolorum
obtrectiones tueatur, docentium ac discientium labori-
bus annuat, et Cives summos, medioximos, infimos opi-
bus sic augeat, quo sicuti in hunc usque diem cum laude
factum, porro quoque liberale Musis indigentibus ho-
spitium largamque stipem petentibus concedant. Sic
labor noster non erit inanis in Domino, & schola *ædes Jeho-
væ atque cæli porta* permanebit, quæ verba Scholæ oppi-
dana Naumburgensileguntur inscripta: quoniam & *διδασκαλείον*
ψυχῶν λογικῶν θεογνωσίας ἵς καὶ πᾶσῶν ἀρετῶν παιδευτήριον, ut Scho-
lam Basilius M. appellat. Valet! P. P. XIX. Kl. Sept.
A. C. cl. cl. LXXVIII.

enus
Dra-
ulti-
oref-
. M.
Sub-
fan-
pra-
ium
abl/
elif-
te.
neo,
rum
ven-
ani-
pri-
inde
evo-
ostri
rum
ori-
opi-
aude
ho-
Sic
eho-
oppi-
αλείου
cho-
pt.

ULB Halle

3

004 523 911



V317





Q. N. 122, 43, a.

Wf
1720

SCH
CIS

UBLI-
GEN-

SCH

ONOS

ORA

ENNES

XVIII

XXVIII.

M. PAU

TARIUS,

apud C

anno 1678.

